





QK. 210. 30.



EX CONFESSIONIBUS  
**MINISTE-**  
**RIORUM SA-**  
**XONICORUM,**

*A. MDLVI. EDITIS*

**EXCERPTA ANTI-SYNCRE-**  
**TISTICA**

*Cum brevissimis Annotationibus,*

**SEBASTIANI EDZARDI,**  
PROF. PUBL.



---

HAMBURGI, A. C. M DCC V.

# INDEX EXCERPTORUM.

Ex Præfatione & Epistolis Joachimi WESTPHALI, pag. 1.  
Ex Confessione MINISTERII MAGDEBURGENSIS, pag. 6

BREMENSIS, pag. 8.

HILDESHEMENSIS, pag. 12.

HAMBURGENSIS, pag. 17.

LUBECENSIS, pag. 20.

LUNEBURGENSIS, ib.

BRUNSWICENSIS, pag. 21.

HANNOVERENSIS, pag. 23.

WISMARIENSIS, pag. 24.

SWERINENSIS, ib.


HUSANI, pag. 25.

DITHMARIENSIS, pag. 26.

NORTHUSANI, ib.

Ex Epistolis quibusdam ad Westphalum Privatim Scriptis,  
pag. 27.





## J. N. D. N. J. C.

**C**um Joachimus Westphalus, fidelissimus Athleta JESUCHRISTI, sacramentorum fraudes egregius præclarisq; scriptis detexisset, non acquievit Calvinus, sed fraudes adjectit fraudibus, secundamq;, ut vocatur, defensionem suam Saxonice Ecclesiæ inscripsit atq; dedicavit. Sperabat enim callidissimus Sacramentarii furoris Promachus, bac arte vel in ipsis Ecclesiarum nostrarum visceribus dissidia & contentiones exercitari, vel, si ista spes eum frustraretur, simplicioribus saltet persuaderi posse, quo non proorsus irconciliabile esset dogma Sacramentarium, de quo judicium Calvinus ad Ecclesias Saxonicas publico scripto deferre nequaquam veritus fuisset. Quandoquidem vero Westphalus optime accuratissime, perpiciebat, quorū sum tota illa res spectaret, Ecclesiarum Saxoniarum judicia de Calvini libro & controversia Sacramentaria experiit, ac mense Novembri Anni MDLVI. Typographo junctim excudenda misit. Cum autem eximius & aureus plane libellus non in multorum manibus versetur, nonnulla, que in primis ad rem facere videntur, excerpere, & brevissimis Annotationibus illustrare constitui, ut tot Ecclesiarum pīc ac Verbo Dei omni ex parte consentientibus judiciis rubor incutiatur Pseudo-Theologis nonnullis, qui hodie Calvinianis blandiuntur Doctoribus, & Divinam veritatem cum detestandis male Reformatorum heresis confaciare amittuntur. DEILS Ecclesiam veram conservet, omnesq; Calvinianorum & falsorum fratrum machinationes potentissime proferat & evertat propter Christum. Amen.

Ex Præfatione Joachiini Westphali fol. A. p. 3.

Calvinus scriptum suum posterius dedicavit quasi re præclare gesta Ecclesiæ Saxonie, & verbis yisus est causæ cognitionem ad eas deferre, prolixè etiam promisit, se recusare nolle, QUAECUNQUE RECONCILIATIONIS RATIO OSTENDERETUR.

### Annotatio.

Nemo ergo miretur, hodiernos Reformatorum Doctores reconciliationis studi.

A

*stud:um fallacibus verbis p̄ se ferre. Imitantur enim hac in parte antesignatum suum Calvinum, quem tantopere adhuc in pretio habent, ut ante annos non multos Calendarium Biographicum (Historischen Geschicht-Calender) in honore mejus Hale ediderint, ac magnificentissimis eum elogis decorarint.*

Ex Epistola Westphali ad Superintendentes & Ministros Ecclesiarum Saxoniarum fol. A. p. 8.

Joannes Calvinus, Primarius hoc tempore propugnator exsecrandi erroris Cingiani, a Sacramentariis totis viribus instaurati & dilatati post obitum beatæ memoriae Viri Reverendi D. Lutheri, obtrusit Saxonici Ecclesiis librum quendam sub defensionis falso titulo: in quo scribere an insanire verius & furere dicendus sit, vobis & omnibus sanæ mentis judicandum permitto. Res non eget verbis, per se satis manifesta est: quanta sit virulentia, quam rabiosa sævitia, quanta item conviciandi & calumniandi omnia libido. VIX usquam UMBRA aut vestigia aliqua Christianæ sive charitatis sive MODESTIÆ, sive candoris apparent. Versus & pene singula verba exquisite singulari studio ita perfudit veneno, ut tanquam venenata jacula fauciarent, si inciderent in aliquem non præmunitum, ac aspectu ipso, ut aliquis Basiliscus, interimerent.

Pag. 12. Causam fremendi & debacchandi in me prætendit, quod Sacramentarios habeam pro Hæreticis & blasphemis: at vero viri illi præstantissimi, quos antea nominavi, de hæresi eos insimularunt, sicut testantur libri ab ipsis posteritati relictæ. Certe D. Lutherus ferio censuit habendos pro hæreticis: cur ergo in D. Lutherum non desæviit? cur non insanias & virulentas invectivas scripsit contra Vitum Theodorum & Crucigerum, cum adhuc essent superstites, si tam atrox scelus ego commisi, & a culei viperinæ lingua in me sunt figendi, quia scapham scapham, Hæreticos Hæreticos esse dico? Si est hæresis, quod quisq; eligit, astruit, & obstinate contra verbum Dei & fidem Catholicam defendit, natum in officina humanæ sapientiæ, quid prohibet accusare & verbo Dei damnare de hæresi sapientulos, qui sua lomnia & rationis placita anteponunt arcano mysterio nobis tradito a Filio Dei, & ab iis propugnandis quoq; modo non desistunt? Quorūm attinet belligerari cum vocabulis, cum res ipsæ notatae sub vocibus competant in authores erroribus immersos?

Anno-

## Annotations.

- (1.) Styli acerbitatem in Calvini libro contra Westphalum agnovit quidem Petrus Martyr, sed tantum abest ut eam rejecerit, ut potius summopere approbarit, dilaudaveritq; Alterum inquit Epistola ad Calvinum d. 16. Febr. A. 1556. Argentine data, accommodum libri tui est: Westphalum & similes ejus, qui sermonibus humanis & lenibus cicurari nequeunt, hoc excantationis genere ad sua latibula, e quibus emergerant, rursus esse compellendos. Conquerentur acrem & vehementem in scribendo te fuisse? rogabimus, cur Westphalus reluti Cecias has nubes, hymnes, grandines, tonitrua & fulmina sibi ultro acquisiverit. Dolebunt, hujus pugna tam cruentum fuisse conflictum? regeremus vicissim, non potuisse alia ratione Centauros & Cyclopas domari. Deplorabunt aliqui eorum nimis acerba, utq; alias dixerunt, scurrili dicacitate actum? respondebimus, non scurrorum petulantia, sed robustis argumentis & firmissimis rationibus Westphali gladiatoriæ audaciæ occursum esse. Ad summam, quid alii judicent, ipsi viderint: mihi, quod scripsisti, summopere placet, ac vehementer probatur. Quoties nimirum sincerus fidelisq; Christi servus Divinam veritatem non vuli Sacramentariis prodere, Cecias, Centaurus, Cyclops audit Sacramentariis, in quem nubes imbre grandines tonitrua & fulmina immitti oporteat. Quantacunq; igitur in eum conjiciantur compita scommataq; summopere tamen placent Sacramentariæ hæreses confortibus, & firmissimarum rationum titulo condecoranda videntur, quicquid etiam judicent alii. Cur vero Lutheranorum fraternitatem ambiunt, si eos pro Centauris & Cycloibus habent?
- (2.) Hereticorum nomen ægerrime semper tulerunt adversarii, cum tamen rem ipsam nunquam fugerent & vitarent. Sic Lutherus Cingulum sociosq; ejus in Colloquio Marburgensi indignissime affectos fuisse testatur, quod pro hæreticis esset discedendum: vid. Epistola ad Jacobum Provest Confessioni Ecclesiæ Saxonicarum subjecta fol. T. p. 12. m.

Ex eadem epistola Westphali fol. A. p. 13. 14. 15.

Etsi igitur non solum abneget Corporis & sanguinis Christi præsentiam & sumptionem in Eucharistiæ Sacramento: dum protractus in lucem ex suis latebris, fatetur se in ea re dissentire cum D. Luthero & Saxonice Ecclesiis, & fideles in cœlum ascendere jussisse, ut carne & sanguine Christi vescerentur: sed etiam tam Ecclesiæ nostræ quam doctri-

doctrinam fœde deformet ac damnet, quantum attinet ad hanc partem fidei, de qua nobis litem intendit: sicutate tamen præferens vestitum ovium, venit ut amicus, venit ut Pastor bonus ad Ecclesiæ inferioris Saxonæ & Germaniæ, haud dubie ea Religione & devotione, qua Lupiveniunt ad eves: dedicat his librum hostiliter insectantem conspurcantes id, quod edocta Christi verbo & Spiritu profitentur ad salutem religiosa fide: venit inquam fretus nimirum hac spe & confidentia, quia scit re explorata per suos speculatores latitare in his locis permixtos aliquot suæ farinæ homines impense farentes Sacramentariis, & in omnes occasions intentos, ut fores ubiq; Sacramentariis patefiant. Ne jocus & ludus esse videatur, quod agit, obtestatur omnes probos Ministros Christi & synceros Dei cultores, ut quærendo remedio operam dent. **REMEDIUM QUAERI VULT, ET NON AGNOSCIT MORBUM suum, MEDICOS FIDELES ODIT, PERSEQUITUR, & repellit non aliter quam Phreneticus aliquis furiosus.** Quarit saniorem partem corporis lædere contagio, & prætexit studium inquirendi salutaria remedia, circumspectat, ubi ubi infligit vulnera, & tamen sollicitat de adhibendis emplastris: profitetur se amplecti alacriter velle, quæcunq; reconciliationis ratio oblata fuerit, & tamen pergit res exacerbatas exulcerare, offensam partem inhumaniter & crudeliter tractando gravius offendere. Certe si serio agere voluisset de sua reconciliatione, longe aliter reministrisset, confessionem suam simpliciter propositam obtulisset dijudicandam, omissa conviciandi rabie, quam Rhetorico colore sub severioris objurgationis prætextu oppalliat, licet nullam habeat idoneam causam vel minimam, cur me severius objurget propter defensionem communem mihi cum tota D'ei Ecclesia. **Quis erit obsecro locus, QUÆ VIA AD RECONCILIATIONEM, NISI UT TURPITER PRAEVARICANTES, PRODITA VERITATE, sacrilegam palinodiam canamus, & ambobus brachiis amplectamur damnatum dogma, ac supplices prostrati confiteamur, nos quandam injuriam fecisse Cinglii sodalibus, uterq; veniam deprecemur?** Nullam aliam spem reconciliandi Calvinus relinquit, cum confidenter **VOBIS DENUNCIAT PERPETUUM BELLUM, & nostræ doctrinæ hostem, dum vivit, futurum se esse minatur.** Sic enim evestigio post mentionem remedii & reconciliationis intonat, **sibi decretum esse, carnalem Christi præsentiam usq; ad extrellum spiri-**

spiritum oppugnare velle. Quid restat igitur, nisi ut nos ad sustinendam molem belli & hostilis oppugnationis parati simus, ac cincti gladio spiritus sternus in acie, nihil extimescentes formidabilem Gigantem Philistinorum constanter ingenue & clare edamq; nostram confessionem, & quisq; suo loco pro suo dono, oppugnatores acriter repellamus? Non est profecto obscura neq; ignota vestra Confessio, quid sentiatis, quidve probetis aut improbetis in hac controversia, non subter modium posita lucerna vestrae doctrinæ absconditur, sed in propatulo lucet, publicæ vestrae conciones, item editæ confessiones, præterea sancta edita Magistratus, promulgata contra Sacramentarios satis aperte testantur, quæ sit vestra fides. Iterum tamen renovanda est & proferenda confessio, cum HOC TEMPORE INSIDÆ & VIOLENȚIA SÆVA HOSTIUM GRASSANTIUM INOVILE CHRISTI, cum PERICULA ECCLESIAE, cum pro salute populi sollicitudo & zelus pro gloria Dei id depositant, & in hac parte præcipue charitas fraterna declaranda nunc sit erga exterros, ne patiamini falsissima illa suspicione, qua V. D. infamare conantur, induci, ut credant, VOS ULLO PACTO SUFFRAGARI, PATROCINARI, FAVERE, AUT CERTE NON VALDE RELUCTARI SACRAMENTARIIS, neq; providere, ne seducti pereant, pro quibus redimendis Filius Dei preciosum suum sanguinem impendit.

*Annotationes.*

- (1.) *Falsissime sibi persuader Helmstadiensis Fabricius, Confid. Controv. cum Reform. pag. 510. Calvinum substantialem Corporis Christi presentiam credidisse. Contrarium enim ex virulentis Calvini contra insignem hunc articulum libellis apertissime patet.*
- (2.) *Hodierni Reformatorum Doctores, non minus quam Calvinus, morbum suum agnoscere renunt: illos etiam, qui ex verbo Dei salutarem medicinam commonstrant, repellentes ac persequentes. Frustra igitur pacis studium pra se ferunt, cum perpetuum bellum in animo meditentur.*
- (3.) *Non est, quod adversarii conquerantur, B. Wesiphalum debitæ moderationis terminos egressum, dum Calvinum non aliter fideles medicos repellere scribit, quam Phroneticus aliquis furiosus. Etenim Reformati solenne est, ut Luthero eo titulo condecorent: vid. ex gr. Jo. Henr. Alstedius Theol. Catech. p. 512. med.*
- (4.) *Qui Sacramentariis & Calvinianis ullo pacto suffragatur, patrocinatur, fayet,*

*favet, aut certe non valde reluctatur, prodit veritatem, & vehementer injurius est in ovile Christi. Utinam id serio recogitaret Helmstediensis Fabricius!*

**Ex Epistola III. Joach. Westphali, fol. 8. p. 3. fin.**

Gloriatur Calvinus in fœdissimo suo scripto dedicato Ecclesiis Germaniæ, brevi præcipuis quosq; Doctores declaraturos data occasione, quam cupidi sint fovere concordiam cum Calvis Sacramentariis. Nobis contra in alteram partem prudenter utendum est oblata occasione, & declarandum, **QUAM NOSTRI ABHORREANT** ab istius sectæ societate & impia Concordia.

*Annotatio.*

*Qui ergo a Pseudo-Henoticis Consiliis non abhorret, non est noster, nec Lutheranus nomen amplius meretur.*

**Ex Confessione Ministrorum Ecclesiæ Magdeburgensis**  
fol. B. p. 7. f. & 8. in.

Judicamus igitur, omnes pios gravissimis causis excitari & ingeri, ut non tantum preces, sed & sententias, scripta OMNEMQUE OPERAM & studium ad repellendas istas Sacramentariorum machinations & errores conjungant.

*Fol. B. p. 9. in.* Dolendum sane est, communem causam a tam multis tanta veritatis jactura, & tantis Ecclesiæ Christi incommodis deseriri, sed quo plures obticescunt, eo fortius pauci, bene de victoria a Domino danda sperantes, dimicare spiritualibus armis debent, ne veritas omni piorum patrocinio prorsus destituantur.

*Fol. C. p. 15. f.* Abhorreamus igitur a Theologia Sacramentaria in hac causa, quia non sapit ea, quæ Dei sunt, sed merum sensum carnis, quem quantis laudibus celebret Spiritus S. ubiq; in scriptura, ex VIII. Cap. ad Ro. patet. Item qui fide Sacramentariorum sumit, reus fit Corporis & Sangvinis Domini.

*Fol. H. p. 3. f. 4. in.* DEO igitur jubente, ut loquamur ac vos refeliamus, frustra inani terriculamento & purida ostentatione nobis ora molimini obstruere. Donec igitur vos scriptis tuemini sententiam a Scriptura Sacra alienam, tamdiu oportet vigiles Christi tous antilegontas elegchein.

*Anno-*

*Annotationes.*

- (1.) *Hicce etiam temporibus optandum ex animo est, ut universi pii preces omnemq; operam & studium ad Henoticas molitiones repellendas conjungant.*
- (2.) *Non contemptim habende sunt controversie inter nosfrates & Reformatos. Nam qui ex. gr. ad Sacramentum Cœna Calviniana fide accedit, indignus conviva est, & judicium sibi manducat & babit.*

*Ex Subscriptione Matthiae Flacii Illyrici fol. H. p. 7. f.*

Credo etiam omnes sibi judicum ac damnationem sumere, qui non credentes dilecto Dei Filio, cum tanta gravitate ac maiestate asseveranti, HOC EST Corpus meum, HIC EST Sangvis meus, aut ea contemptim eludentes, tantum panem quendam Symbolicum aut Typicum se sumere in Coena Domini sentiunt: Eo quod non solum non dijudicent Corpus Domini, sed etiam plane nullum ibi esse, contra manifestam Christi asseverationem, statuant ac contendunt.

*Annotationes.*

- (1.) *Scripsit hoc Flacius A. 1556. antequam in articulum de Peccato Originali impegisset. Nam Colloquium Vinariense habitum demum fuit Anno 1560. initio mensis Augusti. Inde igitur apud orthodoxos nihil de auctoritate hujus subscriptionis decedit, quippe quam ex ipsius Christi verbis luculentissime derivavit.*
- (2.) *Novimus, Flacium turbulenti ingenii subinde a Reformatis accusari. At multo pacatori tranquilliori, ingenio præditum suiss oportet, quam Antonium Cortanum & alios quosdam Calvinianos, quorum sententia & desiderium erat, ut se posset a controversia Religionis unanimiter confiraretur ad armam, respondentem semper Flacio: Ich bin ein Kriegs-Mann von der Schrift / und nicht von dem Schwert: vid. Darmstadinorum special Widerlegung pag. 72. a. in.*

*Ex testimonio Erasmi Sacerii fol. H. p. 8. in.*

Propriam Confessionem de controversia Cœnae Domini jam non possum scribere, idq; propter imbecillitatem mei Corporis. Nihilominus libenter testor, me Sacmentariorum fœdas corruptelas, quibus Testamentum Domini violant & evertunt, ex animo odio & EXSECRARI, ac refero me ad eas confutationes, quas in meis locis & aliis scriptis, Sacmentariorum opinionibus ac BLASPHEMIIS opposui.

*Anno-*

## Annotatio.

*Fœdas & execrabilis blasphemiasq; corruptelas, cum vera doctrina confociari est adūtov.*

Ex Admonitione & Contestatione Concionatorum Bremenium fol. I. p. 7. f. 8. in.

Quare nos contemptis imo & ANATHEMATIZATIS humanae audaciae versutiæq; glossulis, ipsi puro sinceroq; verbo Christi constantissime adhæreamus, ac primum statuamus, Christum in sua institutione accipere & porrigerre & edere jubere panem ac vinum: Deinde simul de eo affirmare, quod sit ejus Corpus & Sangvis. Et deniq; de fine ac usu Sacramenti istius docere, nempe eum esse, ut simul doceatur, creditur & percipiatur beneficium mortis, sacrificii, seu oblati in crucis ara pro nobis Corporis ac Sangvinis Domini. Hanc perspicuam verborum Christi distinctionem si firmiter tenuerimus, nec Satanam nobis omnia in unum chaos seu cumulum confundere passi fuerimus, omnes istorum seductorum inanissimas glossulas contemnemus. At si nobis Satanam verba Filii Dei confundere glossareq; patiemur, ACTUM scilicet ILICO DE NOBIS ERIT. SICUT OLIM DE PRIMIS PARENTIBUS ACTUM FUIT, qui simplici perspicuoq; Dei verbo credere ac contenti esse, eiq; constantissime adhærere noluerunt, sed Satanæ suæq; Sapientiae glossulas sunt sectati.

Fol. K. p. 1. med. R. D. Martinus vere in spiritu Eliae venit, veram religionem restitut, & AntiChristum mundo patefecit, ac illustri veritate plane debellavit. Quapropter videndum nobis iterum atq; iterum est, ne cum per tantum Dei organum ad Christum reducti sumus, ejusq; veritatem accepimus, a nescio, quibus Pseudoapostolis, seductoribusq; iterum nos seduci ac decipi patiamur. Hæc jani dicere voluimus, non studio gloriandi de præceptore tanto, sed perinde ab adversariis coacti, sicut & D. Paulus, qui semet ipsum prædicare, necesse tandem ob impudentiam Pseudoapostolorum habuit. Hunc enim tantum virum, paulo ante mortem impudentissime lacerarunt Sacramentarii, quem tamen paulo post, nempe XLVII. XLVIII. & XLIX. Anno, ex animo vivere optassent, ut POST EJUS SCUTUM LATITARE in tantis difficultatibus potuissent, sicut olim. Satis enim fœde tunc expalluerant, & obmutuerant.

Fol.

Fol. k. p. 3. f. & p. 4. Verum ex hisce & similibus pluribus eorum actionibus, eorum spiritus perversitas & cauterium, ut id Paulus vocat, ambitioq; cæca clare animadverti cognosciq; potest. Quare fratres auditoresq; charissimi videte, canes fugite, fugite istos Pseudo-apostolos, & diligenter vobis cum expedite, eum esse perpetuum morem Satanae, ut postquam cœlestis ille Pater familias suum agrum, per aliquem idoneum Magistrum, optimo semine verbi Dei sui confavit, mox Satan per suos ministros eundem zizaniis conspergere ac foedare conetur. Ut post Moysi seminaciones venit Datan, Choré, & Abiron, post Christi & Apostolorum fationem statim adhuc ipsis viventibus & cernentibus, exorti sunt Pseudoapostoli, non qualescunq; homunciones, sed ipsorum plane Angelorum lucis speciem habentes, qui omnia meliora facere, ac perfectionem quandam se docere velle pollicebantur. Sic & hoc tempore prohdolor, post optimam seminationem tertii istius Heliæ, supervenerunt Monetarii, Antinomi, Anabaptistæ, Sacramentarii, aliiq; complures, qui summo studio optimæ fementi Christi zizaniae Satanæ suprainjicere, ac immiscere conantur. Videte igitur vos fratres, ac filii, O propter Deum vos monemus, hortamur, oramus, obsecramus & obtestamur, ut contenti optimo semine purissimi Dei verbi, cordibus vestris hactenus per Reverendum Virum Martinum Lutherum, vere ultimum Heliam, nosq; ejus Discipulos, & longo jam tempore vestros Pastores inseminato, modis omnibus ab ipsis zizaniæ superseminatoribus omnistudio ac cura, SI MODO DEUM TIMETIS ET SALUTEM PROPRIAM CURATIS, vobis mete caveatis. Hæc jam in isto summo furore Satanae, suas corruptelas circumquaq; passim spargente, PURAEQUE RELIGIONIS atq; adeo OMNIUM ECCLESIARUM ET VESTRARUM ANIMARUM PERICULO, vobis fratres ac filii curæ nostræ a Spiritu S. commendati, præter publicas conciones publico scripto proponere voluimus, ut vos & edoceremus de veritate, præsentiumq; errorum evidenti falsitate, & hortaremur, obsecramus, & obtestaremur, ut eos toto peccatore execraremini, vita-retis, ac fugeretis, & demum coram Deo totaq; ejus Ecclesia protestaremur, nos nihil eorum omisisse, quæ ad vestram salutem vos doceri ac moneri, pertinere putavimus. Quare si quis porro se decipi, ac a seductoribus istis ac a lupis devorari passus fuerit, næ ille sua culpa petulanter perierit, nos certe ab ejus sangvine nos mundos esse, nunc & extremo judicio protestamur.

## Annotationes.

- ( 1. ) Quam pestilens fuit primorum Parentum cum Satana Syneretismus, tam exitiosa etiane foret doctrina nostra cum Calvinianâ confociatio. Atcum fo-  
ret denobis, si Ecclesiasticam ejusmodi consociationem amplectetremur.
- ( 2. ) Dum Bremenses AntiChristum a B. Lutherò illustriveritate plane de-  
bellatum scribunt, quilibet facile intelligit, non hanc esse eorum mentem,  
quasi AntiChristus a B. Lutherò fuerit existitus atq; sublatu. Id sibi volunt  
optimi & veredoctrina ac pietatis tenacissimi Viri, Lutherum Divino Verbo  
AntiChristum Romanum ita confutasse, ut plenam & sine exceptione victo-  
riam obtingeret, nec ab AntiChristi Romani Propugnatoribus quidquam soli-  
de regeri posset.
- ( 3. ) Qui Auditores suos vel verbis vel scriptis ad Syncretismum adducere conan-  
tur, illi falso jactant, se Deum timere ac propriam auditorumq; suorum salu-  
tem curare.

Ex Epistola Presbyterorum Ecclesiae Bremensis,  
fol. K. pag. 6.

Calvinus scripta sua Saxonicas Ecclesias dedicare non veretur,  
qua fronte, & animi fiducia, vel potius fraudulentia, calliditate, præ-  
sumptione & audacia, scire nequimus. Cum tamen non ignorat, Saxonicas Ecclesias Sacramentariorum deliria per Dei gratiam haec tenus  
summe abhorruisse, & etiam nunc UT SATANAЕ VENENUM sum-  
mo studio fugere & vitare.

Fol. K. pag. 11. med. Hæc quia sunt certa vera firma & Sacramenta-  
riis omnibusq; Sophistis irrefutabilia, Ergo merito, jure & tuto in  
eis stamus, acquiescimusq;. NIHIL SOLIDI A SACRAMENTA-  
RIIS hucusq; in medium adductum est, quo hæc refellere tentarent.  
Et postquam doctrina de Sacro Sancta Coena adeo solidis, firmis, &  
IRREFUTABILIBUS fundamentis innititur, omnes pii merito ad-  
mirantur, cur a Sacramentariis repudietur & rejiciatur? Est enim  
PERTINAX furor, & extrema dementia, rem non posse justis ra-  
tionibus refellere, & tamen eam suscipere nolle.

## Annotationes.

- ( 1. ) Ut venenum admisceatur cibo, nemo cordatus Auctor erit. Qua fronte  
igitur Pseudo Theologi nonnulli falsam doctrinam, que Satanae venenum est,  
cum sana doctrina consociari jubent?

( 2. ) Ja-

(2.) *Jamea etate constitit in Ecclesia Dei, non infirmitate, sed pertinacia laborare Sacramentarios. Quis igitur nunc dubitet, an hodierni Calvinismi Doctores pertinaces adversarii veritatis sint, cum post tot annorum decursum adhuc in antiquis erroribus suis persistant.*

*Ex Epistola Johannis Timanni, fol. I., pag. 7. med.*

Præterea a nobis IN COETUM FRATRUM NUNQUAM RE-  
CIPIENDOS esse, omnino re diligenter præmeditata judicamus,  
NISI PRAECEDENT ET PRAELUCENTE VERA POENITEN-  
TIA, ET PUBLICA REVOCATIONE ILLORUM, qui publicis  
scriptis & apertis concionibus Ecclesias turbarunt, conscientias con-  
cusserunt, defectionem pepererunt, & multorum scandalorum oc-  
casiones caussas & argumenta infinitis ATHEIS hominibus ob-  
tulerunt.

*Annotationes.*

(1.) *Joannes Timannus Amsterdamus fuit Pastor Bremensis in Ecclesia Martini-  
ana. Vehementer in eum ob Divinum pro veritate Zelum debacchati sunt  
Sacramentariorum Promachi. Petri Martyris insulfissima in optimum Vi-  
rum investitiva legi potest Epistolis Theologicis Locis Communibus annexis p. 769.  
b. m. Quo majori vero rabie Sacramentarii, eo majori etiam reverentia cune  
tanquam Patrem in Christo prosecuti sunt pii cordatig. Viri. Dabo inquit  
Ex. gr. Henricus Buscoducensis Regiae Majestatis Danicae Concionator Aulicus  
Epistola ad Timannum A. 1554. 19. Augusti data, operam, ut, si quando  
meus in Christo Pater Amsterdamus propter Schwärmeros aut  
alias pias & honestas eaussas Bremæ (quod Deus tamen avertat, ) lo-  
cum non haberet, ut ad aliam se dignorem conditionem vocetur.*

(2.) *Notissimum est, Reformatos Doctores, qui in Unione concilianda allabo-  
rant, pro dogmatibus Ecclesiæ sue publicis scriptis propugnare. Cum igitur  
veræ & seria pœnitentia indicianulla prebeant, nec ad errorum sautorum revo-  
cationem parati sint, in coetum fratrum nullo pacto recipi possint.*

(3.) *Verissime monet Amsterdamus, Sacramentarios Atheis occasiones scandalorum obtulisse. Quando enim Athei manifestissima Christi de vera sua præsentia  
Verba tot & tam impie detorsoribus in jocum lusum, convertividebant, deri-  
dende Scripturæ & Christianæ religionis prætextū nanciscabantur. Nec minus in  
Atheistica & Epicurea impietate obsfumantur a Doctribus Syncretisticis, a qui-  
bus Gratiam Dei, Meritum & Personam Christi Baptismum & S. Cænam  
aliosq;*

*aliosq; gravissimos religionis Christianæ Articulos tam contemptim haberi vident.*

**Ex Confessione Pastorum & Ministrorum Ecclesiæ Bre-mensis fol. L. pag. 13.**

Hæc est nostra sententia de substantia Cœnæ Dominicæ, quæ ut est simplex, ita etiam fidei Christianæ plane analogam esse judicamus, Sacramentarij sententiam plane rejicentes & DIRIS DE-VOVENTES. Quia Sacramentarii Christum Filium Dei mendacii arguunt, dum in Christi simplicibus verbis, & luce meridiana clario-ribus Tropum urgent. Atq; ita panem verum Corpus Christi esse, vinum verum Christi sanguinem, ac per Ministerium distribui pane & vino, & ore carnali verum Corpus & Sangvinem edi ac bibi, ac tam ab indignis quam dignis sumi negant. Dicunt enim in his verbis Christi, Hoc est Corpus meum, Metonymicam esse locutionem, ubi Christus rei signatæ nomen signo attribuat. Atq; ita panem non ve-rum, sed symbolicum Christi Corpus esse. Neq; per Ministrum pa-ne distribui, sed per Spiritum Sanctum e cœlo, ubi Christum juxta carnem & humanam naturam collocant in unoloco, vivificam quadam carnis illius in nos substantiam effundi. Acut capaces hujus com-municationis simus, in cœlum nos assurgere oportere, illucq; aspirare, ut inde se nobis communicet. Itaq; nos ore Sacrementum Cor-poris, fide vero & anima ipsum Christi Corpus nos percipere. VA-LEANT INFERIS PENITUS COMMENDATI cum tali tamq; ma-ledicto & blasphemia scatente Tropo.

*Annotatio.*

*Pessime ergo Syncretistæ nostri tam infernalem doctrinam Ecclesiastica & Sacra tolerantia dignam censem.*

**Ex Confessione Pastorum & Ministrorum Ecclesiæ Hildes-hemensis fol. M. pag. 5. in.**

Aversamur igitur & rejicimus, **QUICQUID ECCLESIAIS NOSTRIS OFFERUNT SACRAMENTARIJ**, & vera fide, qua debemus, amplectimur hanc veritatem Filii Dei redemptoris nostri, quam apertissimis verbis tradidit, & declaravit ipse, quam summa reverentia & pietate conservarunt fideles veritatis testes Apostoli pleni

pleni Spiritus Sancti , & literis mandatam retinendam reliquerunt posteritati.

*Fol. M. pag. 8.9.* De promissione autem quis unquam piorum dubitaverit? Ipsa veritas promittit, quam mendacii arguere totus mundus, totumq; regnum Diaboli & tenebrarum prohibetur. Ego sum, inquit Christus, via veritas & vita. Item, quis arguet me de peccato? Si vera loquor vobis, cur mihi non creditis? Inquit autem veritas, Edite, hoc est Corpus meum, Bibite hic est Sangvis meus, Sangvis Novi Testamenti, seu ( quod idem est ) Testamentum in meo sangvine. Licet ratio hæc non compræhendat, oculus non videat, appræhendit tamen, & videt fides exspectatio rerum non apparentium. Si quis hæc tanta mysteria ratione metiri volet, nihil plus egerit, quam ut cum ratione insaniat. Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt. Apud Deum non est impossibile omne verbum. Promisit Deus FILIUM SUUM IN CARNEM VENTURUM, EX VIRGINE NASCITURUM, QUOD LONGE MAIUS EST, QUAM IN CARNATAM CARNEM ET SANGVINEM SUUM IN PANE ET VINO DARE. Præstirit, quod promisit a mortuis se resurrecturum Filius Dei, quod erat rationi incredibile, præstirit, quod promisit is, in cuius ore dolus non est inventus. Eadem virtute potest omnia facere, quæ pollicetur.

*Fol. M. pag. 13.* Nunc nova iterum exoritur blasphemia, ex summa cæcitate Sacramentariorum. Facile autem depræhenduntur & errores execrandi Zwinglianæ sectæ, quæ et si horrendis idolatriis & illusionibus regni Papistici in hac controversia contraria esse videatur, UNIVERSAM tamen SACRAMENTI VIM abnegat.

*Fol. N. pag. 2. f.* Valet collectio in humanis, Enoch, Elias sunt in cœlo, Ergo non sunt in hac terrena vita. Franciscus est in inferno, Ergo non in cœlo. Cæsar est in Hispania, Ergo non in Germania. Sed de eo similiter argumentari, cui data est potestas in cœlo & in terra, cui Pater tradidit regnum, JUDAICÆ IMPIETATIS & cœtitatis est.

*Fol. N. pag. 3. f.* Nullus JUDÆORUM, nullus ETHNICORUM hominum Christum majore ignominia afficere, MAIESTATEMQUE DIVINAM lädere potest, ac isti homines facundissimi faciunt, qui tot jam annis sibi vixerunt, apertæ veritati præsentis Christi in Eucharistia restiterunt, sub prætextu pietatis veræq; Religioni

gionis propagandæ stultam Christi & Apostolorum prædicationem cum Sacrementis Sardonio risu despixerunt, petularitissimis verbis insectati sunt, imperito miseroq; vulgo contemptissima reddiderunt, vera & necessaria CONSOLATIONE, præsentissimoq; re medio aduersus angustias animi, gentem illam perfide ORBAVERUNT, contra veram Ecclesiam cristas erexerunt, illustratam Spíritu Dei, purgatam ab erroribus AntiChristi, nulia labe perversæ doctrinæ contaminatam, eamq; semper contristarunt, & hodie perturbant, commendantes nobis sua fœda ulcera, criminantes sanitatem corporis Ecclesiarum nostrarum, haud secus atq; famosum & publicum scortum suam scabiem & turpisimam vitam prædicat, pudicas virgines, & honestas matronas vituperat. Et adhuc quasi valde magnifici & metuendi heroes volunt haberi, qui in genere humano tolerandi non erant, aut certe ad extremos Indos, vel etiam Scythas & Gethas relegandi. SI ita loqui de Deo humiliato propter nostram salutem licet, si ita conculcare lotioq; aspergere Sacra menta fas est, si ita aduersus Ecclesiam debacchari, in veros piosq; Ecclesiæ Doctores sævire laus & eloquentia est, PERIIT NÓBIS CHRISTUS, PE RIIT SAPIENTIA SALUS ET VITA NOSTRA, PERIIT MINISTERIUM VERBI ET SACRAMENTORUM, VANA EST FIDES, quæ jam ratione non verbo Dei regenda sit, PERIIT SPES FUTURÆ RESURRECTIONIS, quæ æq; minus ratione comprehenditur. Qualis isthæc agnitiō Dei est? quæ reverentia verbi Divini? quæ pietas & religio? quæ voluptas? omnia, quæ Christi sunt, ex alto despicer, molestissimis verbis insectari, calumniosa interpretatione pervertere. Parturit, proh dolor, hæc ultima fex mundi tam dira Ecclesiæ prodigia, ac pestes humani generis, quæ contempto Deo, quidvis in Ecclesia Christi comminiscident, & somnia sua maximo cum discrimine miserorum hominum tueri, Filioq; æterni Patris se anteponere.

Fol. N. pag. 13. 14. Stulta ratio in rebus divinis reprimenda est, captivatenenda livida meretrix, vana disputatrix, quæ stridulavoce semper & ubiq; obloquitur narranti Deo, efferens se supra Deum, contendens cum ipso forma sapientiae. Quid per Deum immortalēm ipsi probatur revelatum divinitus? Nihil prorsus. Dic Deum condidisse cœlum & terram exnihilo, & singulare providentia sustentare eadem. Ipsa negat obmurmurans, Exnihilo nihil fit, fata casusq;

fusq; regunt orbem. Dic Deum esse genitorem æterni Filii. Respondet ipsa, nihil absurdius. Dic in Deo esse tres distinctas Personas, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Ipsa fremit, contraq; intonat: confundi totam Arithmeticam. Dic Deum esse natum infantem, verum Deum & Hominem, dic natum ex semine muliebri tantum. Furore correpta, ardentibus luminibus te intuens, stygias tibi pestes imprecabitur, existimans illudi se, quæ rem longe melius intelligat. Hæc usu magis comperta sunt, quam verbis dici possunt, si consideraverimus naturam totius humani generis, & nostram ipsius mentem examinaverimus. Hæc furia obblaterat Deo etiam in hac re omnium amplissima, negans penitus vera esse, quæ affirmat, ordinat, mandat, promittit, & servat Filius Dei. Hanc igitur superbam & cæcam bestiam in consilium Dei adhibebimus? Imo constringemus, ET EXCLUDEMUS E COETU FILIORUM DEI perturbatricem omnis veri, conviciatricem omnium revelationum Divinarum, soliq; Deo sapienti & justo, & vera narranti fidem habebimus, quod qui nobiscum non faciunt, sed audiunt dictis furiaæ suæ, NULLIS NON ERRORIBUS implicabuntur, & cum scrutatrice DIVINÆ MAIESTATIS peribunt.

Fol. O. pag. 9. f. p. 10. & 11. Ostendimus Reverendi viri fratres, qua potuimus simplicitate, & brevitate, quid de re omnium gravissima, spectante ad totius Ecclesiæ salutem, & pacem publicam, sentiamus credamus & doceamus, quidq; nobiscum UNANIMI CONSENSU CREDANT ECCLESIAE NOSTRAE, ET VICINÆ, ex quibus vide licet, quo animo feramus importunitatem & audaciam Sacramentariorum, quorum jam caput videri vult Calvinus. Neq; nos leves causæ movent, NEQUIÈ ULLA PRIVATA ODIA ACCENDUNT, neq; ulli alii affectus carnis rapiunt ad dissentendum, sed ipsa veritas Divina, necessaria Ecclesiæ, gloriae Dei, saluti publicæ, nos admonet officii nostri, ut dolentes dissentire ab iis cogamur, quos videmus ratione tantum, non veris Scripturæ testimoniis nisi. Si quos igitur neq; Sacra Christi institutio, neq; mandatum, neq; promissio summi foederis & conjunctionis Filii Dei, neq; Apostolorum doctrina, neq; suffragia, & exempla Ecclesiæ tot seculorum inde usq; ab Apostolis, neq; veterum scriptorum testimonia, neq; confessio & fides præsentis Ecclesiæ illustratae & purgatae veritate Evangelii, fugatis AntiChristi tenebris, neq; necessitas, neq;

neq; utilitas, & æterna salus movent, ILLOS PLANE INDURATOS, & præstigiis Dæmonum fascinatos judicamus. Cum autem his omnibus aperti hostes Sacramenti Cœnæ Dominicæ nihil flecti videantur, sed omnia calumniis deformant, intraq; fines sui regni, quod possidere sibi videntur, manere nequeant, sed exeunte non vocati, Saxonicas Ecclesias suo contagio PESTIFEROQUE VENENO inficere strenue dent operam, fatemur ingenue & libere, nos ipsorum invidiosum dogma nequaquam probare, nec unquam probaturos aut accepturos esse. Imo relegamus induramat istam & sibi soli placentem hæresin ultra omnes alpes & terminos humanæ naturæ. Et quia pergunt pacificis Ecclesiæ molesti esse, calumniosis & famosis scriptis, nostrisq; aris bellum indicere, donec illorum CONDEMNATAM DUDUM PERVERSITATEM dogmatis approbemus, illos quidem PRO PERTINACIBUS HÆRETICIS & impostoribus habendos esse plane censemus, DONEC suum inventeratum & perniciosum errorem deposuerint, palamq; revocaverint. Interea dolemus illorum vicem, & nec ipsis scriptoribus, nec aliis in Ecclesia docentibus, nec genti Helvetiorum optamus tam ignoriniosam perversi documenti maculam, verisq; gemitibus precamur Deum Patrem, UT CONVERTANTUR AD POENITENTIAM VERAM, & obedientiam traditi verbi a Filio Dei, qui est æterna veritas, sapientia & vita, cui laus & gloria in secula, Amen. Idem regat & defendat universam Ecclesiam suam in fana doctrina, uno spiritu & fide, reprimat Satanam cum omnibus machinationibus suis impiorum, & vos Fratres dilectissimos diu conservet in columnes, in spiritu fide patientia fortes, ad gloriam verbi, & nominis sui, ad veritatem, & piorum æternam salutem.

#### *Annotationes.*

- (1.) Ultinam ex hac mascula Hildesheimensium Confessione, cum quavicias etiam Ecclesias facere testantur, disceret Helmstadiensis Fabricius, Calviniana dogmata primis Christianæ religionis principiis e diametro repugnare!
- (2.) Contra Terministas observamus, etiam PLANE INDURATIS Divine gratiæ fores adhuc patere. Expressæ enim Hildesheimenses plane induratis & præstigiis Dæmonum fascinatis veris appræcantrur gemitibus, ut ad veram penitentiam convertantur.

Ex

Ex Confessione Ministrorum Hamburgensis Ecclesiae  
fol. O. p. 13.

Ecclesia nostra Dominum Joachimum Westphalum, Pastorem fidelem & bene meritum amat & veneratur propter magnam ejus eruditionem, propter eximiam fidem, quam sicut fidelem Pastorem decet, cum magna vigilancia & constantia, ac cum indefesso studio praefat Ecclesia in suo ministerio, & propter insignem integratem vitam, qua Deum in cœlis glorificat, & Calvinum cum suis mendacii pudefacit.

Fol. O. pag. 14. Nos itaque gratias agamus Domino, quando aut nos aut Fratres nostri similes criminationes propter Christi nomen audiunt. Illud rogo ut quicunque Calvini criminationes contra nostrum Fratrem legit, secum apud animum cogitet, Calvinum non litigare cum nostro Fratre de vita ac moribus, sed litem esse de veritate Domini Jesu Christi in verbis Coenæ suæ. Qui hoc cogitat, ille facile videt, quo animo ac corde istas criminationes evomuerit Calvinus, facile videt, quantum fidei illis sit tribuendum, facile videt, quod pertineant ad dictum Christi: Beati estis, cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversus vos, mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis, sic enim persecuti sunt Prophetas, qui fuerunt ante vos. Non volo prolixè prædicare dona Dei in Fratre nostro Westphalo, ne videamur hominis maledici criminationes magni facere. Ecclesia audit ipsius conciones, videt ipsius conversationem, legit ipsius scripta: Ea locuples testis est contra Calvini mendacia.

Fol. O. pag. 15. in Aperte enim & ingenue profiteor, quod Calvinum cum omnibus suis consortibus, cum Anabaptistis, cum Stencfeldio, & si qui alii sunt contemptores & blasphematores Sacramentorum Christi, perfecto zelo odimus, & Ecclesiam monemus, ut sibi ab ipsis & libris eorum caveat, juxta præceptum Christi, cavete a falsis Prophetis, qui veniunt advos in vestimentis ovium, intus autem sunt lupi rapaces.

Pag. 16. 17. Alius interpretationes, nempe CINGLIANORUM, Anabaptistarum & Stencfeldii, quæ non sunt consonæ fidei, & non retinent sed mutant & corrumpunt verbum Christi, non recipiuntur,

pimus, sed constanter repudiamus & damnamus. Et qui illas interpretationes ad nos afferunt, DE ILLIS non dubitamus scribere Apostolum, SICUT DE ALIIS HAERETICIS. Omnis qui recedit, & non permanet in doctrina Christi, Deum non habet. Siquis venit ad vos & hanc doctrinam non adfert, nolite eum recipere in domum, nec ave ei dixeritis. Qui enim dixerite ave, communicat operibus ejus malignis. Ecce prædixi vobis, ut in die Domini non confundamini. Rogo Lectorem, ut huic testimonio de integritate & innocentia venerabilis Domini M. Joachimi Westphali, Pastoris Ecclesiæ nostræ, & de nostra cum ipso consensione, in doctrina de Sacramento, & omnibus aliis doctrinæ Christianæ partibus fidem adhibeat. Nemo credat mendacibus calumniis Calvini, nec sinat se illa infidiosa dedicatione decipi, ut putet nos cum obdurato defensore manifestorum errorum non tantum de Cœna Christi, sed etiam aliorum, amicitiam colere. Dominus noster Jesus Christus pronobis oravit, ut sanctificemur & servemur in veritate sermonis Divini. Cum hac PRECATIONE NOSTRI PONTIFICIS etiam nostra vota & preces conjungamus, HÆC PRECATIO PUDEFECIT OMNES HÆRETICOS, ET PUDEFACIET NUNC QUOQUE Calvinum cum suis consortibus Cinglianis, Anabaptistis, Stenckfeldio & omnibus Hæreticis, qui resipiscere & Domino gloriam veritatis dare nolunt.

#### *Annotationes.*

- (1.) Non est, quod miretur Lector, in hac Confessione Ministrorum Ecclesiæ Hamburgensis, (quam DELS ad extremum usque diem sartam & in columem conservet, & contra omnes Socinianorum, Pontificiorum, Calvinianorum, Pietistarum, ceterorumque veritatis hostium apertos clandestinosque insultus eucatur) sermonem subinde singulari numero conformari. Etenim Confessionem conscripsit Paulus ab Eirzen Ecclesiæ Hamburgensis Superintendentens, reliquis Ecclesiæ Ministris approbantibus, nominaque sua ordine subscribentibus.
- (2) Elogium Westphali de industria adduximus propter acerbissimas Calvinianorum Scriptorum inventivas, quibus optimum & doctrinæ ac vita sanctitate spectatissimum Virum adoriri conseruerunt. Etenim Canem appellare solent, propreterea quod Sacramentarios lupos abvili Christi voce & calamo amoverit, propodium circumferentes versiculum,

Westphale cum nequeas famam lacerare Philippi,  
Latratu ostendis, te tamen esse Canem.

*Videa-*



Videatur Job. Lampadius Theologie apud Bremenses Professor Mellificio suo historico P. 3. p. 345. a. m. & conferatur B. Joannes Dictericus Refut. Calumn. Lamp. pag. 84. init.

(3.) Non sunt Evangelicis formidanda Calvinianorum vel Syncretisticorum doctorum minae ac machinationes. Adeit Ecclesiis nostris PRECATIO DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI pro nobis. Hec precatio sicut omnes Hercicos in hunc usque diem pudefecit, ita & in posterum universas Calvinistici & Syncretistici Satana molitiones pudefaciet. Collocemus modo fiduciam in Domino nostro. Eventus ostendet, omnem adversariorum vim, dolos, insidiias fore instar stipulae ante faciem venti.

Ex Epistola Jo. Bodekeri, Eccles. Hamburg. fol. P. p. 5.

Sacramentariorum blasphemiae & in te, & negotium, quod pie bonaque conscientia adversus eos agis, Ecclesia Dei perspectissimae sunt, quibus SI VEL NUTU LEVISSIMO, VEL SALTEM SILENTIO locum apud nos relinqueremus, non ipsis meliores, sed deteriores, AGNITÆVERITATIS, atque innocentiae tuae & integratatis PRODITORES merito habendi essemus. Quod itaque Ecclesia Dei utile atque necessarium, & suo officio dignum est, agunt, qui hoc tempore confessiones & testimonia sua consentientia Diabolicis Sacramentariorum haeresibus calumniis & insidiis ingenue opponunt, & eorum AUTHORIS DIABOLI conatus qui buscunque modis confundunt & remorantur. Ea enim est negotii hujus Sacramentarii ratio, ut alloprofallon esse, aut tergiversari & musitare nemini sit integrum, nec quisquam, quod silentio vel tergiversationi pie & honeste prætexat, habeat, & hoc modo se gerentes attente cavendi sint.

#### Annotation.

Nemo existimet, acerbius locutum Bodekerum, dum diabolum Sacramentariorum Autorem dixit. Nec ullo pacto moderatio a Philippo Nicolai aliisque meritissimis Theologis lreditur, quando Diabolum Calvinianorum Deum esse scribunt. Non enim id faciunt injuriandi animo, sed ex officio Christianæ caritatis, ut & illi, qui nondum seducti sunt, a tam horrenda doctrina sibi caveant, & qui seduci se jam passi sunt, tam impias & pestilentes hypotheses abjiciant. Recke in Compendio Bernensi pag. 613. m. contra Pontificios urgetur, Papam dici AntiChristum, non animo conviciandi, sed tantum ut conscientiarum sensus exprimatur, & causa secessionis ab illius communione intimo-

timore Domini reddatur. Sic etiam nulla veri specie nostrates injuriarum postulari possunt, ubi Calvinianam doctrinam eorundem rendere admonent, ut Diabolus colatur pro Deo: cum illud non conviciandi animo faciant, sed hoc scopo, ut Calviniani dogmatum suorum impietatem agnoscant. Quid? quod Richardus Baxterius ipse profiteretur, Calvinianam doctrinam de predeterminatione Physica ad peccatum representare Deum sub forma Diaboli. Tandem inquit, temperare mihi non possum, quin detester doctrinam, quæ illud in Deo occultat, quod est amabilissimum, & contra eum SUB FORMA DIABOLI, ut odiosus nobis fiat, representat. Est hoc horribilis blasphemia, PURUS ATHEISMUS & EXTINCTIO TOTIUS RELIGIONIS --- Nam ut adhuc semeldicam, prætendit hæc doctrina Deum esse causam principalem & totalem omnium peccatorum, & omnium penarum, quas Diaboli & homines in inferno aut in terris sustinent, per suam prædeterminationem & præmotionem physicam, immediatam, efficacem, irresistibilem & inevitabilem. CEQUIEST LA PROPRE FORME DU DEMON, quæ vera forma est Diaboli: allegante Abrahamo Hinckelmano in Theologia Jobi Evangelica pagina 41. med.

Ex Confessione Ecclesiæ Lubecensis fol. Q. p. 7.

Sacramentiorum error profecto non secus ac longe lateque serpens LETHALIS ET IMMEDICABILIS ANIMORUM PESTIS suo veneno & contagio inficit, quas semel pacta est piorum mentes, easque dat IN EXITIUM SEMPITERNUM. Nam primum in errorem profundum & caliginem extreme abstrusam miserias Christi oves a veris stabulis, & justis verbi Divini seminibus abductas secum inducit, unde nunquam emergere possint, efficitque ut sapientia propria vel potius rationis studio depravati, nihil effutant, nihil scribant, aut loquantur, cum de Sacramento Altaris negocium faciunt, quam blasphemias Dei, & multa horrenda evomant, in Sacrum de Cœna Christi institutum, quæ nobis verecunde effari non licet, sicut testantur illorum scripta, quæ multorum & oculis & manibus passim evolvuntur.

#### Annotatio.

*Qui ergo Calvinianorum errores salvum fidei fundamentum relinquere disputant, immedicabilem animorum pestem excusant, que homines dat in sempiternum exitum.*

Ex Confessione Ecclesiæ Lüneburgensis fol. Q. p. 13. 14.

Sedulo clementissimum Deum rogabimus, ut hanc sententiam, quod

quod scilicet in Sacramento Eucharistiae vere & substantialiter, sive corporaliter Corpus & Sanguis Christi, & non spiritualiter vel mystice, vel quocunque alio modo. Tropologice tantum credentibus in ipsum exhibeat, ad peccatorum omnium remissionem & æternam salutem consequendam, & ad memoriam Christi recolendam in nobis confirmet, atque obsignet, detque, UT NUNQUAM vel cum Calvinio, summo hoc tempore Sacramentarii negotii propugnatore, vel cum Svensfeldio impudentissimo ac rabiosissimo verbi Dei oppugnatore, vel cum quocunque alio similes errores atque furores defensente, donec in impiis suis ac venenosis opinionibus perseveraverint, conveniamus: Sed potius, ut cum Christi Apostolorumque Ejus simplicissimis verbis, Orthodoxorum item Patrum & Doctorum veterum & Neotericorum ac præcipue reverendi pia memoriae viri Dei D. Martini Lutheri, qui in brevissima de Sacramento Altaris confessione aperte testatur, inquiens, se malle pati, ut vel CENTIES DISCER-PERETUR, ET COMBURERETUR, quam ut in Sacramentariorum ac in similium etiam phaneticorum hominum sententiam pedibus es- set iturus, dextra vera & pia de hoc articulo sententia consentiamus.

*Annotatio.*

*Oleum igitur & operam perdunt omnes, qui in Unione cum Calvinianis concilianda allaborant, quandoquidem recentissimi Pseudo-Reformatorum Doctores palam protestantur, se pristinis suis dogmatibus numrium missuros non esse.*

Ex Confessione Ministrorum Ecclesiae Brunsvicensis

fol. Q. p. 15. 16.

Nostros gemitus cum tuis suspiriis conjunximus, ardenti pectore orantes Deum æternum Patrem Liberoris nostri Iesu Christi, ut omnium suorum adversariorum FURORES reprimat, quibus Ecclesiam Filii Dei horribiliter lacerant, & maiores quotidie turbas nobis excitant. Hactenus certe nihil intentatum reliquit SATAN, sed variis ac multis modis remaggressus est, ut SACRAMENTARIORUM SUORUM CATERVAM in hunc coetum nostrum vere credentem Evangelio subintruduceret, & ita Zizania sua superseminaret puritati doctrinæ, qua nobis his temporibus novissimis, Dei beneficio, per reverendum virum D. Doctorem Martinum Luherum iterum est restituta. Hunc conatum ipsius posteaquam depræhendimus, cœpimus juxta vocationem cogitare, qua ratione temerarii illis depravatoriis Coenæ Dominicæ viam ad nos obstrueremus. Edita est igitur

confessio nostra in re Sacramentaria , quam Lutherus piæ memorie & legit, & suo calculo tanquam verbis Christi consentientem approbavit. Et quidem satis luculenter in ea exposuimus mentem nostram, ac ostendimus, nos nihil minus quam cum illis sentire, qui ÆTERNI NUMINIS IRAM OBLITI, testamentum ipsius violare immani audacia & inaudita præsumptione non verentur. In ea confessione hactenus perstitimus contra Satanæ conatus , quos Divina clementia tanquam nebulas sole adveniente discussit, & omnes fecit irritos.

*Annotationes.*

- (1.) *Hodie iterum nibil intentatum relinquunt Satanæ, ut in vicinia Brunsficensis Ecclesiae Zizania serat per Helmstädiensem Fabricium, qui iram æterni Numinis probdolor oblitus Sacramentarias Divini Testamenti violationes excusare, palliare, & cum religione nostra conciliare aenititur. Irritos vero etiam hos Satanæ conatus faciat DIVINA CLEMENTIA !*
- (2) *Una cum Morlino Confessioni huic etiam subscriptis Martinus CHEMNITIUS. Non possum tamen quin adjiciam alium B. Viri locum, quibus itidem pestilens illud religionis nostræ cum Calviniano conciliande studium rejicit. Cumque inquit doctissimus mansuetissimusque Vir, multorum jam annorum usu didicerim, adversarios Zwinglianos mendacium posuisse spem suam, & pertinaciter ac obstinate contra veritatis stimulum calcitrare, omnem de ipsis præsertim dogmatistis jam dudum justissimo Dei Judicio inducatis, ad sanitatem revocandis spem abiuccio: & proinde meam Ecclesiam, cui Dominus me præfecit, oratque obtestor, & Dei loco etiam hortor ac moneo, ut juxta D. Pauli præceptum Tit. III. v. 10. HÆRETICOS HOSCE HOMINES, NON SEMEL SED MILLIES, NON AB HOMINIBUS TANTUM, SED AB IPSO ETIAM DEO MULTIS TRAGICIS DOGMATISTARUM EXEMPLIS ADMONITOS, tanquam subversos & proprio iudicio damnatos, devitent, & a venenatis ipsorum libris, autoritate pii magistratus sui prohibitis caveant atque abstineant. Quod postremum consilium animo optimo atque paterno profectum, si aliæ quoque Ecclesiae & magistratus sequantur, & Zwinglianos dogmatistas, tanquam cornupetas bestias, & homines in majestatem Filii Dei blasphemios, a suis finibus arceant, absque omni dubio Ecclesias & Scholas atque Respublicas, de quibus turbandis isti homines dies noctesque cogitant, perpetuo bene constitutas atque florentes habebunt. Videbitur forte quibusdam, præcipue politici*

cis viris, hoc meum consilium aliquanto durius, & a solita moderatione mea, cui per omnem vitam studui, alienius; sed coram ipso Domino testor, adversarios Zwingianos nunc eo processisse audacie atque blasphemiae, ut nisi pii Magistratus auctoritate reprimantur, secta illa (quod Philippus Melanchthon in libello de sententiis veterum patrum vaticinatus est) tristissimam toti Germaniam ruinam allatura, & tandem Turcicam Mahumeticam impietatem attractura sit. Quod ut ipse Filius Dei, cuius maiestatem Zwingiani superbe concilant, glorioso suo adventu impediat, & ab INSIDIOSIS CONCILIATIONUM TECHNIS, quas dogmatista venenisi disseminandi gratia passim instituit, Ecclesiam suam conservet, toto pectore ipsum oratoque obtestor: Brunsvigæ Anno 1584 Calend. Septemb. videantur Fundamenta SS. Cœna pag. 121. col. 1. f. 5 col. 2.

### Ex Confessione Ministrorum Ecclesiae Hannoverensis fol. R. p. 1. 2.

Quam odiosa perversitate, virclarissime doctissimeque, Satan virulentus hostis graffetur aduersus eos, qui Cœna Dominicæ institutionem salvam & incorruptam retinere student, & verborum ejus unicam veram & genuinam sententiam defendunt, non solum ex literis tuis, quas VII. iduum Octobris accepi a Magistro Walthero Hocke, verum etiam ex adversariorum libris satis superque (prohdolor) cognovi. Auditu horrendum est, hanc tam sanctissimam & consolatione plenisimam institutionem, & testamentum Salvatoris nostri, quod hominis & quidem vidua Mulieris testamento vix quisquam facere ausit, ita prorsus Diabolice prophanari, blasphemari, & extreme conspurcari ac damnari. Attamen precor aeternum Patrem Domini nostri Jesu Christi, si qui sint inter ipsos errore præoccupati, ut eos in veritatis viam reducere dignetur. Oro item ardentibus votis Dominum nostrum Jesum Christum, institutorem hujus Sacro Sancti mysteriï, ut me cum Symmystis & Ecclesia fidei nostræ commissa, omnibusque recte de hac Christi institutione sentientibus & credentibus ab illis EXSECRANDIS SACRAMENTARIORUM BLASPHEMIIS conservet immunem.

*Fol. R. pag. 4. m. Veni veni ô Domine Jesu Christe, veni ad iudicandum orbem, ut vindices sanctum nomen Tuum ab his PLUS-  
QUAM Diabolicis blasphemis.*

Anno-

*Annotatio.*

*In singulari numero loquitur Bartholomaeus Wolffhart Superintendentis, qui Confessionem hanc charta mandavit. Interim publica fuit totius Ministerii Hanoverani Confessio, prout ex Symmistarum subscriptionibus appetit.*

*Ex Confessione Ministrorum Ecclesiae Wismariensis.*

*Fol. R. p. 6. DAMNAMUS hæresin istam tam vete: un: quam novorū Berengarianorum, qui e cœna substantiam & præsentiam Corporis & Sanguinis Christi auferunt, & eos omnes, qui corpus vel pro Divinitate, vel pro fide, vel pro Ecclesia exponunt, vel aliis Tropis ac Figuris atque imposturis ludunt, & clara Christi verba adulterant ac corrum-punt, & sumptionem veri Corporis & Sanguinis Christi in Sacramen-to Eucharistiae abnegant. Et hanc nostram Confessionem hoc nomine etiam publicamus libentius, ut honorem atque exultationem fa-migeratæ urbis nostræ tucamur: Nam ut in multis aliis locis princi-pio, cum Sacmentarii exorti errorem suum publicis scriptis disse-minassent, multi errore illo ob judicij inopiam sunt infecti: sic & in turbe nostra Monachi duo Philosophicis istis rationi humanæ alluben-tibus & blandientibus Berengarianorum ratiunculis in devia abducti, errorem istum publice quidem proconcione ausi sunt profiteri: Sed eum admoniti & convicti doceri nollent, nec errorem agnoscere sus-tinerent, publico docendi munere moti & abdicati sunt. Nec ab eo tempore publicitus hunc errorem quisquam apud nos est professus. Sed AB OMNIBUS PIIS verbi ministris confutatus repudiatus explo-sus & DAMNATUS.*

*Annotatio.*

*Absit, ut damnatarum hæresum Promachi in Ecclesiasticam Unionem & sa-cre fraternitatis jura suscipiantur!*

*Ex Confessione Ministrorum Ecclesiae Sverinensis,*

*fol. R. p. 9. in.*

Hanc doctrinam in orientali Frisia, cum D. Guilielmo Antvver-piano, & paucis aliis (major enim pars erant Sacmentarii & Anaba-ptistæ) ad triennium etiam CUM PERICULO VITÆ CONTRA SA-CRAMENTARIOS SANGUINARIOS defendi. Adhæc JUSTUM DEI JUDICIUM contra Rhodium tum temporis antesignanum Sacra-mentariorum, & sui erroris affectas vidi. Rhodius enim cum iussu Co-mitis pararet abitum, illico collapsus interiit. Quidam attoniti cum san-guine & horrendo boatu evomuerunt animam. Hujusmodi exemplis Deus

Deus declaravit, **QUAM DETESTETUR** Sacramentariorum per-  
versam doctrinam.

*Annotationes.*

- (1.) *Enfraternum Sacramentariorum in Lutheranos amorem, qui in eo constitit,  
ut periculum vita iis creent, Sanguinemque eorum stiant!*
- (2.) *De miserabili Rhodii hujus interitum mentionem quoque injicit Erasmus Alber-  
rus Tractatu wider die verfluchte Lehre der Carlstader fol. h. pag. 4. in.*
- (3.) *Memorabile etiam exemplum est, quod Goslariensis Ecclesia in Johanne A-  
mando, virulentissimo Sacramentarii erroris Precone vidit. Edifferemus illud  
verbis Hieronymi Toxitis, Superintendentis Salzwedelensis meritissimi.  
Joannes inquit Amandus, ein Prediger zu Goslar / hat auf der Can-  
gel diese Wort fur der Gemeine geredet : Er könne nicht gläuben /  
was ihm Nicolaus Ambistorius fürgehalten hatte. Und so fern er mit  
Zwinglio irre/ so sollen sie GOTT bitten/ daß er ihn alsbald aus dieser  
Welt hinwegnehme / damit er mit falscher Lehre niemand versöhre  
noch ärgere. Als er diese Wort kaum ausgeredet/ ist er von GOTT/  
mit der Colica Passione mit dem Grimmen oder Reissen so heftig an-  
gegriffen worden/ daß er in kürzer Zeit hernach seinen Geist aufgeben  
müssen: videatur Lehre des H. Geistes den Zwinglischen Calvinis-  
chen Irithümern entgegen gesetzt fol. C. p. ii. Plura ejusmodi exempla  
ibidem commemorantur.*
- (4.) *Tragicos exitus nemini precamur: optantes potius ex animo, ut DELLIS pro in-  
effabili sua benignitate atrocissimis etiam persecutoribus veniam det. Atta-  
men Calvinianorum Doctorum persecutionem Ecclesie nostrae pretextu Unionis  
quarentium interest, ut Divina iudicia ulterius in se provocare desinant.*

*Ex Confessione Ministrorum Ecclesiae Husanæ in Holusatia,  
fol. R. p. 12. in.*

Speramus autem, Deum, qui ut Apostolus ait, occulta hominum  
judicabit, & proinde revelabit, propediem ISTOS ISCHARIOTAS  
cum fraudibus suis in lueem producturum, ut stultitia eorum mani-  
facta fiat omnibus. Amen. Deus eradicet IMPIETATEM & errores  
omnes, detque Ecclesiae sue in puritate & simplicitate verbi sui cresce-  
re ad gloriam Dei. Amen.

*Annotation.*

*Quando igitur Syncretistæ Autores sunt, ne Calviniana doctrina decenti  
Zelo rejiciatur, propaganda impietati Extinguende puritati Verbi dant operam.*

D

Ex

## Ex Confessione Ecclesiæ Dithmariensis.

Intelleximus viri ornatisimi magno cum dolore, Johannem Calvinum, Sacramentariorum antesignanum, vestræ ac universis Ecclesiæ Saxonie faceſſere haud parum negotii, dum pestilenti dogmate ſuo de Cœna Domini in eas ſerpit, atque EXITIALE VENENUM ſuum teſte tranſfundit, cui malo obſtendum erit, ſerpit enim UT **CANCER**, UTI PUBLICO ET COMMUNI INCENDIO, ne porro pergaſ ſe hiſce Ecclesiæ ſpecie pietatis & veritatis ingerere. Protei enim in ore invertunt ſe Sacramentarii in mille formas, ſunt namque hydra illa multorum Capitum. Nam aliud Carolſtadiuſ, aliud Cinglius, aliud vero Oecolampadiuſ de eſſentia Cœnæ Domini commenti ſunt, & verbis Christi aſſuerunt, ut taceatur de promiscuis & gregariis eorum aſſeclis, quorum ſinguli alias atque alias interpretationes commiſſiuntur. Phanatici Spiritus igitur Pseudoprophetae & falſi Doctores cum ſint, qui gregem Domini Lupina rapacitate ſub ovina ſpecie invadunt, opera preium erit, illos ab ovili Christi arcere, illisque in faciem riefiſtere, ne lupi diſſimulentur eſſe lupi, ne incautos & riſiſtendo impotentiores rapiant, diſpergant, ac devorent.

Fol. R. pag. 14. f. 15. in. Nullas igitur calumniosas interpretationes maniſtorum verborum Christi admittimus, ſed explodimus, imo inexpiabile ſcelus reputamus, verbis Christi corrupertelas aſſuere, nec moramur rationis argumenta, vel creaturani cœleſtem, vel terrenam, vel etiam Angelum e cœlo, quicunque in ſacra Cœna aliud dixerit, ſtatuerit, ac ordinariit, quam panem eſſe ſimul Domini Corpus & vinum ſimul eſſe ſanguinem Domini, eti aliterum ſit naturæ & creationis, alterum tamen eſt Divinæ ordinationis & præcepti, ANA-THEMA fit.

## Annotationes.

- (1.) *Confefſio hæc fuit viij̄ti quatuor Ecclesiārum Dithmariē, ac totius ordinis Ecclesiasticorum virorum.*
- (2.) *Quod ſiigitur Reformati eſſent Angeli de cœlo, tamen vel ob ſolum de Sa- cramento Cœnæ errorem Anathema iis deberetur. Tantum abeft, ut in Ecclesiasticam fraternitatcm fuſcipi queant.*

Ex Confessione Ecclesiæ Northufanæ, fol. S. pag. 2. in.

Fiunt etiam adhortationes ad noſtros publice, ut ſummo cum ſtudio Hærefes & corrupertelas doctrinæ vitent, inter quas nominatiū ac expreſſe SACRAMENTARIORUM TETROS ERRORES DA- MNAMUS & abſicimus.

fol.

Fol. S. pag. 3. fin. Per Augustanam Confessionem Articulus de Sacramento veri Corporis & veri Sanguinis Christi, una cum aliis victoriā obtinuit CONTRA PORTAS INFERORUM, Papistarum, Sectariorum, Interimistarum, SACRAMENTARIORUM & OMNIMUM HÆRETICORUM.

*Annotationes.*

- (1.) *Cum portis inferorum quānam dari potest Unio, Conciliatio, fraternitas?*
- (2.) *Confessionibus Ministeriorum Saxoniorum subiecit B. Westphalus epistolæ aliquot ad doctis & pii viris privatim scriptas, ex quibus nonnullæ excerpere opera premitum est.*

Ex Epistolis quibusdam ad Westphalum privatim scriptis.

Elardus Segebade Ecclesiastes Bremensis in Ecclesia Anshariana : Fol. S. pag. 7. 8. 9. Legi confessionem D. Erharti Schnepfii venerandi senis, duplice honore digni , de Eucharistia scriptam, quam T. Dig. mihi nuper transmisit, eamque cum adversariorum tribus maledicis scriptis, nunc primum contra te vera de Cœna Domini doctrinæ propugnatorem editis, contuli, Sed ut sine ullis affectibus libere dicam, quod sentio : plus spiritus , plus sanæ doctrinæ & solidæ eruditionis, plus denique pietatis in una pagella Schnepfiana, quam in multis inutilibus adversariorum pagellis inveni, quæ NIHIL PRÆTER MENDACIA, CALUMNIAS ET BLASPHEMIAS continent. Præstigiatores sunt, qui frequenti carnis & sanguinis mentione fucum faciunt simplicibus. Novatores sunt, & Doctores falsitatis, patri mendaciorum militantes. Quia aperta mendacia proferunt, & Christum veritatis Doctorem in suis simplicibus minimeq; ambiguis verbis mendacii arguunt. Fures denique sunt & latrones, qui multas animas falsa & hæretica doctrina interrumpunt, AC CHRISTO FILIO DEI SUAM GLORIAM, MAIESTATEM, & HONOREM ADIMUNT. Quemadmodum hujus rei T. D. adversarii, imo Christi, in suis libris egregium specimen præbuerunt.--Hic omnes pii Doctores & Synceri verbi Ministri advigilare, & conjunctis viribus contra hosce infensissimos Christi & veritatis pugnare debebant, & ad eos strenue profligandos concurrere. Sed prohdolor QUOSDAM vel ex nimio timore silere, alios vero impensius adversariorum doctrinæ favere videmus.

Johannes Vitus Lingarus fol. S. p. 13. f. 14. in. Hanc fidem perpetuo retinebo, quæ credit & nos redemptos esse verier naturalis Christi, non significati, non Metaphorico Sanguine, & in Cœna præsentem esse,

D 2

pon

non significative, non Tropice, sed revera tota sua essentia, in qua infinita illa verbi natura, finitæ humanæ naturæ juncta est, inseparabilis & indivisibili unione substantiali, ut jam non duo sed unus sit Christus: qui hoc negat, solvit Jesum, & detrahit omnipotentia Filii, cui data est potestas in cœlo & in terra, qui ideo inquam exaltatus est in regno & Sacerdotio, ideo sedet ad dextram Patris, ideo ascendit supra omnes cœlos, ut implete omnia, & nobis adsit invocantibus eum, exaudiat nostros gemitus, defendat ab insidiis mundi, & efficiat omnes salutares actiones in Ecclesia, ille est Christus, qui natus est ex virgine, passus est, ascendit ad cœlos, regnat nunc in cœlo & in terra, NON ILLE FIGURATUS ZWINGLII, NON METAPHORICUS OECOLAMPADII.

*Lucas Loffius fol. S. pag. 15. m.* Faceant nefarii homines Calvinus & similes cum suis somniis. Retineamus nos constanter & essentialiter veritatem Sacramenti hujus, & usum efficacem in Ecclesia, quo SACRILEGI isti homines privare nos volunt.

*Johannes Magdeburgius Gard. Ecclesiastes Londinensis fol. T. p. 2. 3.* Christus in Cœna sua, juxta perspicua testimonia Evangelistarum Matthæi, Marci, Lucæ, & Pauli de pane, quem edendum porrigit, expresse, simpliciter, & sine Tropo dicit, Hoc est Corpus meum, quod pro vobis traditur, seu ut Paulus habet, frangitur, & de Calice, Hic Calix novum Testamentum est in meo sanguine, qui pro vobis effunditur, vel juxta Matthæum, Hic est sanguis meus, qui est Novi Testamenti, &c. Ergo in hoc Novo Testamento distribuit nobis ore accipendum, fide vero ad salutem applicandum, in pane Corpus suum vivum & verum, & in vino Sanguinem suum verum, in cruce pronobis in remissionem peccatorum nostrorum effusum, juxta verba Testamenti apertissima, qualia testatoribus usitata sunt passim, & contra omnia IMPIA COMMENDA Carolostadii, Cinglili, Oecolampadii & Calvini, quos cum discipulis suis pertinaciter veritati contradicentibus erroremque manifestum defendantibus PRO HÆRETICIS merito habemus.—Ecclesiæ nobis fideliter præmuniendæ sunt, & simplici & vera doctrina Catechismi, & sana verborum forma, quam Paulus retinere jubet, & ardenter simul Divinum implorandum auxilium est, ut nos conservet inveritate sua, cuius aplous o mythos ephy. Si enim justissima ira Dei, propter insignem illum & Satanicum verbi sui Sacro Sancti contemnum in perniciem nostram conniveret, atque dogma illud sacrilegium in

in has regiones invadere sineret, non secus atque corpus malis humoribus plenum, ab aere pestilenti facilime inficitur, vulgus nostrum prouum in fordes quasque prolapsurum esset, & blasphemias has obviis ulnis amplexurum & exosculaturum: quod ne fiat, clementem Deum toto pectore cum omnibus piis oro. Is nobis cum Spiritu suo Sancto adsit, teque vir Dei, incoludem nobis in statione sua diu servet, ut hoc pacto duo crura, aut extreum auricula ex faucibus rugientis Leonis eripiamus, ut Amos Prophetam loquitur. Exemplo pii Hiskiae Sacramentariorum blasphema scripta coram Christo throno nostro gratiae aperiemus & petemus, ut propter nomen suum nobis adsit, usque ad consummationem seculi, & ut maneat nobiscum. Inclinata enim est dies, vesperascat, & omnia ad ruinam inclinant. Misericordia nostri Domine Jesu Christe, propter & Sanguinem, & mortem tuam, & Spiritu tuo Sancto rege vasa misericordiae tuae, sanctifica nos omnes in verbo tuo, sine te nihil possumus efficere. Fac igitur precamur, ne labor noster in te sit inanis, & libera nos ab omni malo, & custodi nos puros a Sacramentariorum dogmate propter nomen tuum, Amen.

*Petrus Bokelman Fol. T.p. 7. m.* Secundam Calvini defensionem contra justam tuam non vidi. Audio talem & tam truculentam esse, ut sanum Calvinum nisi insanissimus nemo dicturus sit, qui legerit.  
**HÆC SCILICET EST ISTORUM HOMINUM TOT SCRIPTIS LAUDATA ET SIBI ARROGATA CARITAS, MODESTIA ET PATIENTIA.**---Vanæ sunt & ridicula comminationes istæ de Rheticis & Helveticis antefignanis. ETIAMSI SEXCENTI prodeant, & singuli SEXCENTOS LIBROS scribant, tamen nihil amplius efficiunt, quam haec tenus effectum est.

*Ex Epistola scripta ex illa Babylone, de qua Apocalypsis XVIII. Fol. T.p. 8. 9. 10.* Legimus his diebus blasphemum & scurrile scriptum Calvini, in te tuamque justam & modestam defensionem aduersus ejus falsam criminationem editum, quo virulentus homo sui animi morbum & sui spiritus impuritatem fatis prodit, ut nemo communis sensu prædictus de hominis impietate dubitare jam possit.---Impium & sacrilegium dicit esse, non servare pacem & concordiam cum Sacramentariis propter dissensionem de Baptismo, Cœna Domini, externo verbo & multis aliis, cum optime in utramque partem conveniat de modo obtinendæ justitiae Christianæ: at **QUOMODO CON-**

CONSENTIAT SIBI IPSI , non video , alibi cum tanto stomacho blaterans , suam de Sacramentis doctrinam talem & tantam esse , ut eam celare & locum dare Capernaitis istis (ita enim vocat pi- os) de mensa Domini præsens Christi Corpus & verum Christi sanguinem distribui omnibus communicantibus digne seu indigne , dicti tantibus , sit veritatem æternam prodere , ad summum & exsecrabilem errorem & blasphemiam connivere , & quid non ? quomodo item conveniat de obtinenda justitiae fidei modo , cum Calvinus Sacra- menta & verbum externum immediata fidei justificantis objecta es- se neget , affirmans ea tantum esse elementa terrena , per quæ fides per nubes conscendit ad dextram & majestatem Dei Patris , obtinendæ ibi justitiae cauſa , nos vero affirmemus ex claro & perspicuo Dei verbo , Deum ipsum in Sacramentis & verbo nobis præsentem esse , suum Corpus & Sanguinem æternamque justitiam horum ministerio hic in terris dispensare , nobiscum loqui , adeoque ipsum priorem ad nos venire , ut nobis fidem det , augeat & conservet , humanamque natu- ram esse infirmiorem , quam quæ hac imaginaria Sacramentiorum fide nubes ascendere , & ad dextram & majestatem Dei justitiam obti- nere possit . SED VALEAT IMPIUS HOMO .

*Annotatio.*


*Imo vero valeat Calviniana impetas , cum omnibus suis Promachis . Valeat infelix illa & subdola pestilensque Unio , quam Calviniani Doctores querunt . Valeat denique universa Syncretistarum Cohors , quæ specioso pacis pretextu turbas in ipsis Ecclesiæ Evangelica visceribus excitare conatur .*

S. D. G.



X 225 6053





Farbkarte #13

B.I.G.

QTR. 210. 30.

**EX CONFESSIONIBUS  
MINISTE-  
RIORUM SA-  
XONICORUM,**

*Cum brevissimis Annotationibus,*  
**SEBASTIANI EDZARDI,**  
**PROF. PUBL.**



HAMBURGI, A. C. M DCC V.